





30

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**BALNEIS FRIGIDIS**  
**OBSERVATIONES,**

QVAM  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
PRAESIDE  
**SALOMONE CONSTANTINO**  
**TITIO,**

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORE, PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL.  
ORD. VICAR. SOCIET. OECON. LIPSIENS. ITEM SOCIET. MEDICOR.  
ET CHIRVRG. IN HELVETIA SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

D. II. MAII 1795.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS GEORGIVS NEVMANN,  
GERANVS,  
MEDICINAE CANDIDATVS.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

BALNEIS HYGIEDIS  
OBSTACULIONIS

CONSTITUTIO CIVITATIS OMEMOGRUM ORBIS  
PARVORUM  
SALOMONI CONSTANTIINO  
TITLO

LEO GRADA PEGTORIS

CAROLAE GEDONIAE NAMUM

PARVATAM ET  
CIVICIS INGENIIS ET TALEIS

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
**GVILIELMO THEOPHILO  
BECKER,**  
PHILOSOPHIAE DOCTORI, ETHICES ET HISTORIA.  
RVM IN ACADEMIA MILITARI ELECTORALI DRES.  
DENSI PROF. PVBL. ORD.

OPTIMO AVVNCVLO  
IN PIETATIS MONIMENTVM  
**HOC QVALECVNQVE OPVSCVLVM**  
DICARE VOLVIT

NEPOS OBSEQUENTISSIMVS  
**CAROLVS GEORGIVS NEVMANN.**

VIRGO

EXCEPTE HINTERRIMO AMPLISSIMO

DOCTRIINA

GALILEIUS THEOPHILUS

BEGKBR

PONTIFICIAE ROMANA ETATIS HISTORIA

MILLEVANIA MULIERUM HISTORIA

DENSI TECO TAPES DRY

OITOM AVANGLO

IN STYLIS MUNIMENTA

HEC GALEGANAE OBSCARIA

PICTORI VOLATIS

HEC OBSCARIA MUNIMENTA

CEROTAS CEROTIAS MEAM

*De infusione et aliis medicamentis quae sunt  
ad auxilium corporis ad hoc colliguntur et secundum  
etiam auctoritatem de medicina non solum medicorum tempore  
sed etiam in multis annis et multis locis inveniuntur ut  
medicorum etiam in multis locis inveniuntur ut  
etiam in multis locis inveniuntur ut*

§. I.

**C**onuenit inter omnes, eandem in re medica no-  
vandi mutandique cupidinem, ac in vestimentis  
obtinere, vt per vices diuersissima in morem abeant.  
Cum vero iam corpori, per crebras vestium commuta-  
tiones, quae tamen nil, nisi superficiem tegunt vel pre-  
munt, non semper optime consultum sit, certo in me-  
dicina, quae omnem sanitatis partem immediate spe-  
ctat, non sine notabili eius damno, multa immutari  
possunt. Quae quidem certe tunc pessima euadunt, cum  
fortissima medicamenta in consuetudinem veniunt, qua-  
rum violentia non nisi multo consilio gubernari potest.  
Crescit adhuc malum, quod ista medicorum encomia,  
quibus vires remedii, cuius generosa natura nuper vel  
comperta, vel saltem illustrata est, celebrantur, facile  
in publicum emanant, adeoque recta naturae, et mor-  
borum et medicaminum cognitione destituti, in omni  
fere malo, solamen exinde quaerunt. Quod ipsum

nam

A 3

nostris



nostris praesertim temporibus eo magis timendum est, quo plures per publica scripta, auctoribus fatalia magis, quam honorifica, non solum ad vitam rectius degendam, sed et ad morborum omnem cateruam propellendam, praecepta dent specifica, infallibilia. Sunt alii quoque auctores medicorum arti non admodum faventes, qui medicinam popularem eo restringunt, ut cuique sui ipsius corporis et morborum, quibus praecepit obnoxium est, eorumque medelae studium commendent. Quod consilium sane egregium est, nisi ad ipsum medicamentorum usum extendatur: nam, ne hic plura, quam ex proposito diceat, proferam ipsis etiam medicis nil difficultius, nisi studium, quod morbis feliciter curandis impendunt; neque unam partem theriae ceteris exclusis perdiscere licet, cum, ut credo, vix illa sit scientia, cuius omnes partes ita inter se connexae sint, quam ea de corporis natura, morbis, eorumque medela.

§. 2.

Inter illa vero nostris temporibus multum commenda ta et usitata remedia locum insignem obtinet balneum frigidum; medicamen, in fortissima, quae in artis usu sunt, iure referendum. Nec tamen tantae laudis ad suam

suam commendationem indigebat; cum iam ipsa natura lotionem corporis, aestu defessi, et sudore squalentis imperet, viresque inde manifesto reficiat. Quare multi ad firmandum corpus, omnemque debilitatem sanandam, nil diligentius, quam balnea frigida suaserunt. Quin, cum quibusdam Cl. ROUSSEAU recens natorum et infantum immersionem in frigidam non temere commendasse videretur, fuere patres, qui egregiam sane et praestantem suis ope in ferre, eosque contra infirmatum omne genus optime munire crederent, cum vix in lucem editos in aquam frigidissimam demergerent, et in seuero hoc regimine quotidie perseverarent. Induretur corpus: hic labor, hic finis est educationis physicae, quam appellant; neque tamen in mentem iis venit, corpus multo melius tractatione, necessitatibus suis semper accommodata, quam temerario fortissimorum medicaminum visu firmari.

§. 3.

**Q**uae vero de immersione in frigidam iure nobis expectanda sint, ex attenta effectuum, quos in viuum corpus habet, exploratione patebit. Isti vero esse. Etus partim aut ex viribus, quas aqua frigida sola in corpus habet, partim ex modo adhibendi diiudicandi sunt.



sunt. Notandae denique sunt **mutationes proximae**, quae balneo lauantibus accidere solent. Balnea vero frigida ea in hac tractatione haberit velim, quae a 7mo inde ad 12mum gradum thermom. Reaumer. accedunt. De 12mo ad 15mum gradum enim eam tepidis accenseo, sicuti, quae a 0° ad 6tum gradum temperie sunt, nimis vehementer agunt et plura irritations et stimuli symptomata excitant.

§. 4.

**D**e aquae frigidae vsu externo virtutes hae considerandae esse videntur:

a) Vis aquae diluens. Resorbetur sane aqua per vascula cutis, praesertim balneo diutius protracto. Sitis enim inde propellitur, et per renes saepe magnam aquae vim excerni videmus. At cum sit frigoris effectus, ut non solum fibras solidas contrahat et vasorum diametrum coarctet, sed et fluida compingat, cum adeo caussam omnis expansionis, quae in calore est, tollat, balneis frigidis vim diluentem nullam esse, sed potius frigoris contactu humores, ut alia corpora, condensari patet.

b) Fermentationem aqua frigida coerget et impedit; Qui effectus soli frigori tribuendus est. Notum enim fer-

fermentationes non nisi certis temperaturae gradibus fieri. Num vero haec frigoris virtus consideranda sit, cum de eiusdem ad corpus viuum accommodatione sermo instituatur, aliam quaestione diiudicandam relinquimus, num fermentatio in corpore viuo locum habeat? Omnino hanc negandam esse puto, nisi quorundam miasmatum assimilationes, conatusque naturae medicatricis ad ea expellenda, hoc nomine designaueris, quos tamen veras fermentationes nemo dixerit. Quo consilio multo frigidum lauacrum in morbis a sanguinis, quae dicitur, putrescentia, et in variolarum infestatione, ante eruptionem suaferunt; quod posterius periculosum ideo quoque duco, cum variolarum eruptionem cutis molis et laxa insigniter adiuuet, qualis tepidis magis, quam frigidis balneis, redditur.

c) Aqua conductit fluidum electricum. De huius vero fluidi natura, aequa ac eius actionibus in corpus viuum incerti, nil de hoc balneorum effectu statuere possumus. Res quidem magni momenti videtur; forsitan electrica materia multum ad perspirationis opus et motum periphericum confert; forsitan et nervorum functiones iuuat; cum calore forte connexa est, ut hac ratione non exigua efficacia lauaci sit, quo hic disper-

B

gitur,

gitur, cum iam probabile sit, humido aëre ex pari ratione corpus affici. Certi vero quid hac de re, cum obseruationes plures desint, proferre non auferim.

*d)* Calorem aqua frigida illis corporibus, quae maiorem eius, ac ipsa portionem continent, rapit. Lex enim est naturae, ut caloris materia aequali ratione expansa sit inter corpora, quae se inuicem tangunt; quo ipso fit, ut calidum ex corpore calidiore in frigidius simul ac illud tetigerit, transeat. Corpus quidem viuum ex virae legibus magnam semper caloris copiam ex se ipso euoluit; ideoque cum corpus densum atque fluidum superficiem calidioris in omni parte tangat, subito magna caloris portio ex partibus externis in aquam transire debet: qui omnium balnei frigidi effectuum fere princeps est. Cum enim calidum omnis expansionis caussam contineat, sequitur, et fluida inde compingi et in minorem expansionem redire; et solida contrahi, vasorumque diametros coarctari. In hoc ergo vis eius adstringens atque roborans nititur.

*e)* Aqua frigida in solidum viuum agit, stimulat nervos. Tales enim nos natura fecit, ut nullus caloris sensus corpori nostro gratus sit, nisi qui iustae eiusdem temperiei proprius accedat. Rugatur cutis et rubet; certissi-

certissima stimuli signa. Nervosa vis omni impressione, sihi valde aliena, excitatur, nisi eadem impressione subruitur: vehementior autem excitatio, qua nervi diutius reagunt, stimulus est.

f) Num et partes, ex quibus aqua communis formatur, vel quas continere solet, ad eius efficaciam aliquid facient? Omnis, quae atmosphaerae exposita fuit, aqua aërem fixum continet: quid vero hic in externo usq; faciet? nonne resorbetur; solo contactu nervos sopiet? At tanta irritamenta simul agunt. Stimulabit vasorum fibras? At non intrat in vasa: non tangit sensibilia; epidermide enim obducta sunt. Neque decomponitur aqua: cur ergo transeat in corpus? Idem mihi videtur valere de ὕδατε καὶ ὑδρογενίᾳ, ex quibus aquam formari recentior chemia nos docuit. Nam cum per solam corporis immissionem non decomponatur aqua, quomodo pabulum vitae, quod in ὕδατι est, in corpus veniat, nescio. Forsitan balnea vaporis ad hanc nobilem substantiam nobis tradendam plus valent, cum in iis aqua per calidum magis soluta sit, et vis cohaesionei decompositioni minus resistat.

**H**i fere sunt aquae frigidae generaliores effectus, ratione balneorum spectandi. Qui vero ex applicationis modo pendent, denuo in locales, qui in cutem solam agunt, et in vniuersales diuidendi sunt. Consideramus:

*a)* Effectus, quos in cutis texturam habet. Hos iam diximus, cum de vi eius adstringente loquemur. Fimior redditur eius compages et vasorum diametri coarctantur, quin et vasa minima collabuntur crebro eius vsu. Rigida ergo sit cutis et siccior; irritabilitas vero eius, primum aucta, imminuitur successiue et aequalis redditur, cum balnei actio aequalis sit in omnem cutem.

*b)* In sensibilitatem cutis, quae tactus sensum continet, primo impetu ut stimulus agit, ex quo et spasmus cutanei vel muscularum proueniunt: continuato autem vsu sensibilitas minuitur, quin et torpor inducitur. Valde enim probabile est, nervos ad liberam functionem exertionem laxitate et flacciditate indigere, (quae sententia quam maxime repugnat ei, qua omnes nervorum actiones per tensae chordae exemplum illustrare conantur); cum itaque per crebras adstrictiones et nervosa fibra rigida redditur, et vasa, telaque cellulosa, qua vndique cinguntur fines nervorum, constringatur, sequi-

sequitur, neruos et per suam immobilitatem, et per stricturas et durities partium vicinarum, in suis actionibus impediri.

c) Perspirationem cutis supprimit. Quod quidem assertum, cum per adstrictionem vis vasorum minimorum, qua perspirationis opus regit, dubio expositum possit videri. Nec frigus solum sufficit ad transpirationem impediendam. Hieme enim, quamvis minus, ac aestate, transpiramus tamen, et gentes sunt sub asperimo coelo perpetuaque hieme degentes, quarum transpiratio tanta est, ut itineratores, qui has regiones adierunt, caueas quas inhabitant incredibilem in modum sola <sup>h</sup>oc transpiratione foueri, narrent. At, cum frigoris vis in vasa minima cutis tanta sit, ut humores expellat, eos ex omni corporis ambitu ad interna protrudat, orificia exhalantium vasorum penitus contrahatur, statim transpiratio per balneum frigidum cessabit, idque praesertim per subitam corporis in medium multo minoris temperaturae immersionem efficitur. Deinde multum ad transpirationem vel iuuandam vel reprimendam medii, quod exhalationes excipit, natura confert: num vt siccum auide eas arripiat, an humidum et iam saturatum easdem repudiat; qua de caufa humida etiam aëris constitutio in gignendis rheumaticis

B 3

mor-



morbis ita ferax est. Certum autem est aquam ad imbibendas partes exhalatas, multo ineptiorem aëre esse. Quid ergo luculentius est, quam perspirationem per frigida balnea supprimi, cum humores excernendi repellantur, arteriarum ostiola contrahantur, et corpus in medium feratur ad excipiendos suos effluxus parum idoneum?

## §. 6.

Sufficient haec de effectibus topicis, qui quantum in reliquam corporis fabricam agant, facile perspicitur. Nunc ex consensualibus eius effectibus illum solum qui inter omnes eminet, non praetereundum iudicauit; eadem nempe ratione, qua motus sanguinis versus externa impeditur, interna vasa replentur, et ex contracta vasorum diametro plethora ad spatium oritur. Inde cordis motus impeditur; pulsus tardus fit ac rarer. Post balneum autem, si cordis reactio tanta est, ut obstaculum ex constrictione vasorum coortum vincat, pulsus naturalis reddit, et calor quidam gratus in cute sentitur: tum simul omnes functiones liberius et aequalius succedunt. Simile id habet cum febris intermittentis paroxysmo, quod repletionem internorum vasorum motus ad peripheriam auctus insequatur; dissimilia tamen multa sunt et

et caufa, et ieruorum affectiones differunt, nec tantus  
 vnquam calor post balneum, ac post febris accessum,  
 cum simul constricta sint vasa externa; nec denique  
 hic calor constanter et ordine periodico redit. Dum  
 enim parum sanguinis adest, vt irritamentum potius aget  
 in magna vasa, et pulsus initio accelerabuntur; aut si  
 minus valet cordis rea<sup>tio</sup>, frigoris sensus remanet, pul-  
 sus post balneum fit tardior, et vix per incitatissimos  
 motus et anhelitus algoris iste sensus propelli poterit.  
 Aut si pars aliqua reliquis debilior, in hanc omnis san-  
 guinis impetus fertur, et cum vires laxae partis non suffici-  
 ant ad expellendum illum, loco aequalis motus conge-  
 stionum symptomata insequuntur: vnde et propensi<sup>o</sup>  
 ad somnum deducenda est, qui saepissime post balnea  
 oriri solet. Idem valet, si pars aliqua obstruk<sup>ione</sup> la-  
 borat, humores semper aliciuntur, eademque congestio-  
 nis symptomata augentur. Nec sanatam vnquam hac  
 ratione vidi topicam visceris atoniam, quod non mirum.  
 Quaevis enim congestio vasa iam debilitata magis expan-  
 dit et relaxat, periculumque citioris redditus mouet. Egre-  
 giam inde et mihi videtur Cel. MARCARDI consilium,  
 qui omnibus diffundet balnea frigida, quibus post  
 balneum caloris ille gratus sensus non redit. Nam si  
 ea vis est cordis et arteriarum, vt redintegrato nisu, post

mo-



momentaneam suppressionem, humorum versus externa  
motum restituant, ut secretio cutis per vasā paullo ante  
corroborata, eo melior et aequalior procedat, neque  
vlla partis insignis debilitas hanc aequalitatem motuum  
tollat; tum sane praestantissimum erit balneum frigidum  
ad augendas et confirmandas vires remedium.

## §. 7.


Cui generaliorum frigidi balnei effectuum recensioni  
addamus eos, qui in sensus cadunt, de quibus Cel. MAR-  
CARD ita egregie disseruit, ut mihi, praeter eorum,  
quae ipse attulit, enumerationem nihil fere restet. Sa-  
nus et vegetus homo dum aquam de 8vo ad 12num  
gradum Reaum. calentem ingreditur, horret cutis, et  
in papillas erigitur: simul ingratus gelu sensus eum sub-  
repit, qui tamen accidente praesertim motu, cito in suau-  
em quandam caloris sensum transit. Calidum enim, for-  
te vinculis, quibus infixum erat corpori, solutum, transit  
per cutim, et dilabitur? vel, quod mihi quidem probabi-  
lius, per solam irritationem a frigore ortam? Rubescit  
tum cutis vel cerulea sit, coque celerius et manifestius,  
quo frigidior aqua, vnde verisimile sit hunc ruborem  
per subitam sanguinis in vasis stagnationem; vel et  
per irritationem induci. Mox euanscit hic rubor, va-

fa,

sa, quae antea in superficie cernebantur collabuntur,  
 succedit pallor non earum solum partium, quas tangit  
 aqua, sed et faciei, quocum redditus sanguinis ad inter-  
 na supra descriptus, egregie conuenit. Simul pulsum,  
 quoties obseruandi mihi erat facultas, semper tardio-  
 rem inueni, qui primo in balneum ingressu inaequalis  
 erat, aequa ac respiratio, sed ad breue admodum tem-  
 pus. Tum post balneum relictum, calor membris ci-  
 to redire solet, mox quoque pulsus solito more effer-  
 tur, dummodo sanus sit homo; variae enim in his re-  
 bus mutationes per diuersos status morbosos proue-  
 niunt. Diutius autem in gelida aqua commorantem  
 tantus inuadere solet horror, ut strideat dentibus, quod  
 et per aliquod tempus post balneum relictum, perma-  
 nere solet. Tandem vrinae excretio creberima, non  
 tamen magna copia excernitur. Sunt vero etiam, qui  
 primo statim in aquam ingressu vrinae stimulum sen-  
 tiant, quod in iis ab irritatione sola videtur effici. Hor-  
 rorem autem illum, signum putauit exinanitionis va-  
 forum cutis et perspirationis suppressae, cui aucta vri-  
 nae excretio ex parte succurrit. Si vero vel vegetissi-  
 mus homo lotionem eo protraxerit, donec iste ipsum  
 inuadat horror, incommoda inde varia sentiet, praeser-  
 tim lassitudinem, et quandam imminuti roboris sensum.  
 Appetitus vero, si quis iejunus in aquam descenderit,

C

auctior,



auëtior, si ingestis oppletus, prostratus esse solet; quo-  
rum ille ex auëtis in vniuersum functionibus, hic ventri-  
culo per diuersam agitationem perturbato mihi prouenire  
videtur. In infirmioribus contra statim post ingressum,  
spasmi muscularum dolentes oriuntur, qui celerrime  
frictione solui possunt. Signa hic esse videntur constrictio-  
nis fibrarum inordinatae.

## §. 8.

**E**x his, quae disputauimus, intelligitur, quo iare bal-  
neum frigidum dici possit refrigerans. Transpiratio  
quidem supprimitur, et pulsus fit rarer: at simul vasa  
maiora opplentur sanguine, et quibus balneum condu-  
cit, iis calor postea augetur. Imminuta ergo sensibili-  
tate et irritabilitate cutis motus inordinati, ex nimia  
cutis irritabilitate prolati, sedantur, et dispositio ad mor-  
bos ex leuissimis cutis refrigeriis tollitur. Ipsam vero  
immersionem nemo sedantem dixerit, cum potius ner-  
vos stimulet et excitet,

## §. 9.

**L**onge vero maiore itre ad roborantia referri potest re-  
media, quorum omne nomen explet. Nam cum vis cor-  
poris, tum per massam agat, tum per impulsum, quem mas-  
sa infert; roborantia, quae et impulsu*m* iuant et augent,  
quo massa mouetur, et massam ipsam confirmant atque  
ad motus perficiendos aptiorem reddunt, omne virium

genus

genus confirmant. Balneum autem frigidum, cum tantam vim in sanguinis circuitum exferat, et neruos excitet, vim motricem, seu vim vitae certissime auget. Vim enim vitalem hic loci eatenus tantum considerauimus, quatenus rationem in se continet motuum, in quibus ipsa vita cernitur. Motus autem animales praeципue per sanguinis circuitum neruorumque actiones fiunt, quibus itaque ipsa vita animalis inest. Nec in ipsam eius naturam inquirere oportet, dummodo ad id quod efficiat, attenti simus.

De actione balnei nostri in neruos iam supra locuti sumus; nempe prima immersione eos stimulari: mox autem neruum nimis percussum torpere, vsuque continuato et irritabilitatem imminui et sensitatem. Multo vero fortius topicus aquae frigidae usus eosdem excitare videtur; vt guttulae quaedam, fronti, bracchiis, pectori iniectae, neruos violentius irritant, quam totius corporis immersio. Eadem enim ratione, membra vnius per torrentem aëris refrigerium multo grauiores turbas excitat, quam aequalis frigoris in totum corpus actio.

## §. 10.

Dum vero fibras contrahit frigidum balneum, adstringens dici meretur. Duplici autem ratione fibra potest contrahi, dum vel caussa tollitur expansionis, vel dum irritabilitas eius ad crispationem mouetur: simplicissi-

C 2

ma



ma enim solidi viui reactio crispatio est, quae per minima fibrarum partes, se inuicem fortius attrahentes, oritur, quo ipso tonus earum augetur. Caussam vero cur gelida aqua vi adstringente gaudeat, iam supra in frigore posuimus, quod calidum abripit, corporum partes a se inuicem distendens. Vis itaque aquae frigidae adstringens prorsus chemica est, nec ab irritabilitate seu vitalitate fibrarum pender. Cum vero in corpore, quamdiu vita durat, nullus mere chemicus cogitari possit motus; quae enim statim subsequuntur, vitalitatis effectus sunt, et cauendum est, ne chemica in corpus actio tanta fiat, cui vitae motus insequentes impares sint. Quod communi voce designari solet, medicamen quoddam non perferrri, nihil aliud sibi vult, quam remedium vires naturae sufficientes non reperire, quae per reactionem in omnem fabricam, et in omnia systemata ita reflestant eius impetum, ut aequalitas motuum inde perturbari nequeat. Saltum enim abhorret natura, neque ad extrema cadit. Sin ergo laxitas tanta est, ut violenta constrictio ordinem statim commuter, cui corpus aegrotum hucusque insuetum fuerat, nec antagonismus virium ad ordinem reparandum valeat, loco salutaris effectus excitantur turbae, quae non nisi vitio naturae iam familiari reditu sedari possunt. Sic ut exemplum proferam, homo gelu tactus et in asphyxiam deiectus, per solum calorem  
vitam

vitam certo potest recuperare. Nunquam vero huic fini respondet calor immodicus, qui corpori rigenti nimius est; iam enim niues et aqua fluida, ad 1° Reaum. temperaturae egregie sufficient, atque rerum, quibus fovetur, temperies sensim sensimque augenda est. Eodem modo laxitas quoque vniuersalis tractanda est, initio nempe lenissimis adstringentibus: successiue transeundum ad fortiora tandemque balnea frigida finem medelae faciant.

## §. 11.

**E**x recensitis hucusque balneorum effectibus patet, quibusnam illa in vniuersum non conueniant, nimirum quibus vires cordis et neruorum insufficientes sunt, ad circuitum rursus aequandum, atque ad irritationem perferendam: quibus fibra laxior est, quam ut subitam constrictiōnē ferre possit: quibus rigiditas nocitura est: quibus motus periphericus iam per se infirmus: qui vitio quodam laborant a transpiratione suppressa: quibus viscus quoddam infirmum et ceteris laxius, seu obstructum, atque ad congestiones dispositum.

## §. 12.

**D**e vtilitate vero balnei frigidi et de vsu eius therapeu-  
tico non plura afferre quidem vellem, cum naturam nondum in tot exemplis obseruare potuerim, vt certi quid, et experientia confirmati, hic exponere possim.

C 3

Pauca



Pauca modo de diaetetico eius vsu adiicienda duxi, qui a compluribus tam saepe commendatur. Ita vero eius rationem habui, vt secundum aetatis discrimina eum considerauerim.

a.) Recens natis multi immersionem in frigidam eo consilio suaserunt, vt mollis admodum cutis et omni impressioni facilime cedens, statim ab initio confirmetur, nec per totam reliquam vitam aëris noxii influxus timendi sint. Hoc quidem lubenter concedo: vix per omnem reliquam vitam tempus redire, quo frigus tam stabiles et perdurantes effectus in externis partibus constringendis edat, quam mox post partum. Magna enim sensibilitas mollisque admodum fibrarum textura facilime cedit, neque motus interni tanti sunt, quanti violentam hanc externorum affectionem facile vincere possint. At natura non amat saltum. Quis vere unquam saltus violentior, quam ille ex utero in gelidam aquam? Accedit, quod cutis in recens natis turgere solet humoribus, qui subito repulsi ad viscera, praesertim ad pulmones ibidem congeruntur, qui ipsi iam aëris nouo stimulo et sanguinis impetu inconsueto, semper irritantur, vt non mirum sit, si in ipsa immersione miser infans catarrho suffocatio pereat. Vasa minora cutis collabuntur, nec cordis reactio ad humores denuo per ea pellendos valet, vnde pallor cutis ad dies vitae in

❧

insequitur. Nec vñquam minus valet corporis firmitas ad compescendas omnes turbas, per immersionem excitatas, cum iam omnia vt irritamenta agant, quae naturalia fiunt, vt mihi luculentum testimonium videatur, quanta possit sustentare humana natura, si ex tali immersione viuus infans et satis valens protrahitur.

b) Puerorum aetati melius quidem conuenit; firmior enim est cordis reactio et aequaliores eorum motus. Putarunt quoque complures, robur inde refici posse, quod mores saeculi generationi nostrae rapuerunt. An vero per immersionem in frigidam debilitati accidenti subueniri possit, praesertim in infantibus minus firmis, nescio. Omnis fere motus in pueris versus externa tendit; nocua per cutem excerni solent; cutis mollis est, humoribusque repleta tumet. Hunc naturae versus externa nisum frigida balnea sensim minuunt, qui tamen, quantum salutis praesidium sit, neminem latet. Simul rigor fibris inducitur, quas natura huic aetati semper molliores et laxiores dedit, cum flexiliores esse deheant et cum omnia vasa in iis sint perua, quae in adulta aetate sensim collabuntur, et in senibus tandem rigorem gignunt, qui omni denique motui finem facit. Praematurum ergo irruit senium crebris et vasorum constrictionibus et tensionibus fibrarum artificialibus, quae rigida tandem membra reddunt. Spasmi quoque in hac aetate



aetate a violenta constrictione et exinanitione minimorum vasorum non sine causa metuendi sunt. Credo et incrementum corporis inde impediri, cum duris partibus difficilius partes nouae inhaereant, ac mollibus; cum tensae fibrae expansioni magis resistant, quam relaxatae, et cum vasorum minimorum magna copia, per constrictiones crebras, collabatur. Cel. MARCARD et hoc affert, quod exanthemata, quibus haec aetas praecipue exposita est, in dura densaque cute difficilius efflorescant. Magnam certe hoc meretur attentionem, cum non solum densior cutis compages, sed et motus periphericus imminutus crises per cutem impedit.

c) Adulta tandem aetas nil praebere videtur, quod balnei frigidi usum impedit, dummodo ita se habeat corpus, ut nullus morbi status ex antea dictis illud prohibeat. Cum vero morbi nostra aetate valde communes sint, cautus fere quisque esse debet in balneo adhibendo. Praesertim gentibus, quae versus meridiem habitant, quarum aestates longae et vrentes, frigora mitigatione, non ita mihi conuenire videtur balneorum frigidorum usus, cum corpora inter eis sicciora esse soleant, excretionibus ferosis per calorem semper auctis, rigiditas ergo magis timenda. Videmus quoque, Graecos Romanos, Italos, Turcos, tepidis balneis uti, vel usos esse, dum Angli et Sueci in frigidam se praecipitent.

d) Se-

d) Senectus ipsa balneum frigidum dissuadet. Tunc enim media quaerenda sunt, quibus partium rigiditas emolliatur et cutis aperiatur, quae ergo balneis frigidis opposita sint. Nec vero huic aetati quisquam ea facile suaserit: ex quo solo iam apparet, parum conuenire, quod dixerint, omnis debilitatis frigidum balneum esse medicinam. Quaenam enim debilitatis verae species naturalior esse potest ea, quam ipsa aetas parit, cui autem prorsus non conuenit?

Haec ergo de diaetetico frigidi balnei vsu sufficient. De therapeutico autem vsu, et ex hac ratione nihil attuli, cum et multi et grauissimi autores fere omnem eam materiam pertractauerint: vix enim est auctor, qui, de diuersissimis licet rebus agens, frigida balnea prorsus praeteriuerit. Quod eorum, praeter Cel. MARCARD, neminem nuncupauit, excusabit me spatii angustia, quam nec ciratis, nec refutationibus, nec locis aliorum librorum excerptis, implere volui: simul nulla conscribenti ad manus erat librorum collectio. Quod vero et in his, quae exposui multa praeteriuerim; non mihi consilium fuit, omnia attingere; ultra generaliora nil promisi. Quae, faxit Deus, ne prorsus ineptae videantur viris, quorum iudicio libellum trado, et quos, ut mihi indulgeant, obsecro.



## T H E S E S.

---

- I. *Variolarum extirpatio, quamuis exoptanda, nisi per torum terrarum orbem instituatur, non sine omni periculo est.*
  - II. *Inoculatio blenorragiae per irritantia topica, praferenda est ei, per virus venereum.*
  - III. *Plerisque hominibus, ventriculo cibis modice impleto, somnus innoxius est.*
  - IV. *Exanthemata motus quidem sunt critici, sed crisi praebent imperfectam.*
  - V. *In morbis vere inflammatoriis salium mediorum usus suspensus esse debet.*
  - VI. *Nerui, ad functiones suas melius persciendas, laxitatem requirere videntur.*
  - VII. *Ministrorum ecclesiae officia, quae aegrotantibus praestant, saluti eorum physicae saepe multum nocere possunt.*
-


**ULB Halle**  
001 558 609

3



TH-DOC





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
BALNEIS FRIGIDIS  
OBSERVATIONES,  
...  
QVAM  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
PRAESIDE  
**SALOMONE CONSTANTINO  
TITIO,**

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORE, PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL.  
ORD. VICAR. SOCIET. OECON. LIPSIENS. ITEM SOCIET. MEDICOR.  
ET CHIRVRG. IN HELVETIA SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

D. II. MAII 1795.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

A VCTOR  
**CAROLVS GEORGIVS NEVMANN,**  
GERANVS,  
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.